

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2497

Auteur(s) : Jeanne la Rosée, de Morville, veuve de Gilbert Morin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1278, février

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Jeanne la Rosée, veuve de Gilbert Morin, vend à l'Hôtel-Dieu de Coutances, pour trente sous tournois provenant de la donation de l'évêque Jean d'Essey pour son obit, une rente annuelle de deux boisseaux de froment à Morville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XCVIII, p. 87-88.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Johanna, dicta la Rosée, de parrochia de Morevilla, relicta Gilberti Morin, tempore viduitatis mee, vendidi, concessi et omnino in perpetuum dimisi priori et fratribus Domus Dei Constanciensis duos bussellos frumenti, ad mensuram dicte parrochie, annui redditus, quod frumentum Robelina soror mea michi debebat et reddebat et reddere tenebatur annuatim, ad festum Sancti Michaelis, supra una pecia terre continente circa duas virgatas terre, sitta apud Maubusc, juxta terram Roberti de Boutemont, scutiferi, ex uno latere, et ex alio latere juxta terram Petri de Leus, clerici, et butat ex uno capite ad mariscum et ex alio capite ad terram heredum Guillelmi Balan. Dicti prior et fratres et eorum successores habebunt, levabunt et percipient dictum frumentum ad dictum terminum, libere, quiete et pacifice, per manum predictae Robeline et heredum suorum, seu cujuscumque tenentis predictam terram, sine contradictione et reclamatione aliqua mei vel heredum meorum de cetero facienda ; et poterunt dicti prior et fratres et eorum successores, et attornatus eorum seu nuncius, suam plenariam justiciam in predicta terra pro predicto reddito exercere, nisi sibi ad predictum terminum libere redderetur. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione a me taliter factis, dicti prior et fratres michi dederunt et persolverunt triginta solidos turonensium in peccunia numerata, quam peccuniam habebant dicti prior et fratres de dono seu legato bone memorie Johannis quondam episcopi Constantiensis ad emendos redditus ad faciendam pitanciam in dicta domo communiter inter fratres et pauperes, quolibet anno in die anniversarii predicti episcopi ; et ego dicta Johanna et heredes mei tenemur dictis priori et fratribus et eorum successoribus et tenebimur de cetero dictum frumentum garantizare deliberare et acquitare versus omnes bona fide, vel alibi in nostra propria hereditate valore ad valorem excambiare, si forte garantizare non possemus, et ipsos priorem et fratres penitus observare indempnes, salvo tamen jure capitalium dominorum. Que jura ego predicta Johanna et dicta Robelina soror mea et heredes nostri tenebimur solvere et penitus acquitare versus omnes. Juravi etiam supra sacro sancta evangelia hec omnia predicta me fideliter servaturam et quod contra premissa de cetero non veniam ullo modo.

In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° septuagesimo septimo, mense Februarii.